



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

De priori parte operis sextæ diei; nempe de productione eorum animalium
terrestrium, quæ mente prædita non sunt. disp. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

Expositio contextus sacri.

Producant aqua: ministrando scilicet materiam. *Reptile anima uiuentis*, id est, reptile habens in se animam uiuentis, reue sentientis. Viuens namque interdum pro solo animali vsurpatur. Porro reptile id dicitur, quod vel non eleuatur, aut vix supra pedes consistit, esto eos habeat, vel mouetur reptando supra pectus & ventrem, quod habent omnes pisces dum mouentur in aquis: licet enim quidam eorum, quia amphibia sunt, vt crocodili, & equi marini, pedes habeant, in quos se erigunt, & gradiuntur, dum mouentur super terram: dum tamen in aquis mouentur, reptant sanè, pedibusque velut remis adiuuantur ad reptandum. Ea ergo de causa pisces omnes, dum in aquis mouentur, reptilia hoc loco dicuntur. Alia terrestria animalia, vt serpentes, dicuntur reptilia, de quibus in opere diei sexti fit mentio.

Omne volatile secundum genus suum, hoc est, speciem suam: genus namque interdum pro modo & specie sumitur.

Benedixitque eis. Benedicere Dei est benefacere. Eatenus ergo Deus eis benedixit, vt Doctores communiter notant, quoniam vim ad generandum per maris cum femina commixtionem, ad quam tantopere animalia inclinantur, eis contulit, vt ea ratione se conferunt quoad suas species. Quare eo ipso, quod Deus imperio suo eam vim ad multiplicationem eis tribuit, dixit seu imperauit, *Crescite, secundum numerum, & multiplicamini, & replete aquas maris, &c.* Maiorque vis ad multiplicationem videtur collata fuisse piscibus, quam ceteris animalibus, vt ex multitudine duorum piscium est manifestum. Id quod necessarium erat, si quidem minores futuri erant esca maiorum.

DISPVATIO XX.

De priori parte operis sexta diei, nempe de productione eorum animalium terrestrium, quae mente predicta non sunt.

Sexta die supremam manum huic vniuerso fabricando, ac exornando adhibiturus Deus, primo loco terrestria animalia, quae rationis experta sunt, producit, tamquam ea quae sola desiderabantur ad complementum totius supellestilis, quae in huius vniuersi domicilio ad vsum & oblectationem hominis preparabatur. Vnde subiungit Scriptura: *Dixit quoque Deus, Producat terra* (ministrando videlicet materiam) *animam uiuentem in genere suo, iumenta* (à iuuando sic dicta) *reptilia* (terrestria scilicet) *& bestias* (id est, feras) *secundum species suas*. Licet etiam bestiarum nomen aliàs latius pateat, omnèque brutum animal sub se comprehendat, hoc loco tamen sumitur pressius, pro his terrestribus feris, quae nec iumenta, nec reptilia sunt. Addit Scriptura, *Facitque est ita, & fecit Deus bestias terra iuxta species suas, iumenta, & omne reptile terra in genere suo. Et vidit Deus, quod est bonum.*

Num species animalium quae per alias causas produci possunt producta à Dubium est, num sexta die creauerit Deus etiam ea animalia, quarum species per alias etiam causas naturales potuerunt postea produci. Augustinus 3. super Genesim ad literam cap. 14. optime distinguit. Quaedam esse, quae ex superfuitibus, halitu, ex-

halationibus, & corruptione aliorum animalium, aut viuientium producuntur, vt sunt pediculi, cimices, tinea, vermes, qui ex corporibus mortuis gignuntur, &c. Atque huiusmodi animalia merito negat in prima rerum productione fuisse producta, nisi solum virtute, quatenus condita sunt causa, ex quibus haec poterant prodire. Alia verò esse dicit, quae ex elementis per causas naturales orti possunt, vt muscae, culices, lacerti, &c. & haec non improbabile arbitratur in prima rerum productione Deum produxisse. Res tamen, meo iudicio, non est certa, nec huiusmodi animalia tempore diluuij reseruata videntur in arca. Non caret tamen probabilitate, in eamque sententiam ego inclino, Deum in prima rerum constitutione multas species tam plantarum, quam animalium immediatè condidisse, quas temporis processu poterant aliae causae producere.

De speciebus quae adulterinae sunt, qualis est species muli ex equo & asina, mihi est probabilissimum non fuisse productas in prima rerum constitutione. Tum quod suapte natura adulterinae sunt, contra ordinemque naturae generentur. Tum etiam, quoniam steriles esse solent, nec proinde se possunt propagare per generationem à se profectam. Tum denique quoniam Deus ipse *Leuit. 19. Iumenta, inquit, tua non coire facies cum alterius generis animalibus.*

Num verò venenosa animalia in prima rerum productione à Deo fuerint producta. Affirmandum est, producta illa fuisse, vt de venenosis plantis dicebamus: non tamen nocuissent nobis, si nullum fuisset peccatum, vt Augustinus 3. super Genesim ad literam cap. 15. ait.

Vtrum animalia carnuiora, vt sunt accipitres, aquila, leones, lupi, &c. statim à principio mundi carnibus vescerentur. Quidquid multi dicant, affirmandum sanè est cum D. Thoma 1. parte quaestione 96. articulo primo, ad secund. & cum plerisque aliis. Cum enim id naturale illis sit, non est, quod miraculum sine necessitate admittamus, quo id fuerit impeditum. Nec animalia in tam paruo numero sub eadem specie à Deo producta sunt, vt non sufficerent, tum ad huiusmodi belluarum sustentationem, tum etiam ad speciei conseruationem & propagationem. Nec rursus quicquam obstat illud, quod Genes. 1. refertur, Deum scilicet dixisse primis parentibus, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & vniuersa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terra, omnique volucris caeli, & vniuersis quae mouentur in terra, & in quibus est anima uiuens, vt habeant ad vescendum.* Non, inquam, hoc obstat, quoniam id intelligi debet, quoad animalia, quae suapte natura rebus ibi pro cibo numeratis vtuntur, quae si conferantur cum eis quae folis vescuntur carnibus, sunt ferè omnia.

DISPVATIO XXI.

De posteriori parte operum sexta diei, nempe de productione primorum parentum.

Completa fabrica pulcherrima ac amplissima domus huius vniuersi corporei, repletaque abundantissimè rebus omnibus, quae ad vsum, oblectationem, ac scientiam, homini poterant inter-